



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Elementa Doctrinae De Circvlis Coelestibvs, Et Primo
Motv**

Peucer, Kaspar

Vitebergae, 1576

VD16 P 1990

Primvm.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56559)

rum Solem consequentium, quatuor oblique duo recte, & cum omnibus illis 180. gradus æquinoctialis emergunt, cumq; descensiones ascensionibus æquales sint, totidem cum iisdem decumbunt.

At contrà inæqualitatis dierum & nocturnum in sphaera obliqua causa contraria est, nimirum duorum quorumlibet hemicycliorum zodiaci & æquatoris ascensio inæqualis, duobus exceptis, quæ punctis designantur ac definiuntur æquinoctialibus. In sphaera obliqua enim cum duobus tantum hemicyclijs zodiaci, his punctis inclusis, boreo scilicet atq; austrino, duo æquatoris æqualiter exoriuntur & occidunt. Ideo bis tantum quotannis diurna nocturnaq; spacia coæquantur, Sole cum illis punctis prodeunte & occumbente. Cum reliquis omnibus undecunq; inceptis, & eorundem signis, perpetuo de æquatore plus minusve attollitur & demergitur. Plus oritur cum omnibus signis hemicyclij descendens, Minus cum oppositis. Contra minus cum illis occidit, cum oppositis plus. Siquidem ascensio signi semper est oppositi descensio, et e converso. Hinc sequuntur sex Perismata.

P R I M V M.

Sole adeunte principium hemicyclij descendens
P 4 tis seu

tis seu initium Cancrī, dies artificialis maxima est, nox breuissima. Sex signa enim interdiu orientia post Solem, recte ascendunt, & oblique sub occasum deducuntur, tantoq; in quolibet climate fit prolixior, quanto polo sublimius exaltato obliquitas spheræ plus augetur.

SECUNDVM.

Sole cum principio Libræ exeunte, sex signorum Solem insequentium, tria priora recte, posteriora oblique eleuantur, & vicissim, Sole occasum subeunte, permutatis vicibus, priora oblique, posteriora recte deferuntur. Ideo dies noctibus adæquantur.

TERTIVM.

Sole cum principio Capricorni, vnde & hemicyclium ascendens orditur, egrediente, sex signa diurna obliquo ductu se in emersum proferunt, eademq; recto vicissim tramite decumbunt, ideo dies breuissima, nox fit longissima.

QVARTVM.

Sole cum puncto æquinoctij verni oriente, sex signorum Solem quadam successione comitantium ad occasum vsq; tria priora oblique, posteriora recte